
35,-148

Phil. Barbati
Carmen sive quo locus de CHRISTIANI II
Regis Daniæ conjuge Elisabetha
1582

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 245 [35,-148 4°]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 245 [35,-148 4°]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 245 [35,-148 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 245 [35,-148 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 245 [35,-148 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 245 [35,-148 4°]

35,-148-4°

Box

(LN bis 245)

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 245 [35,-148 4°]

EPITHALAMIVM

AD NVPTIAS GENEROSI ET MAGNIFICI DOMINI DOMINI HELMHARDI IORGERI, DOMINI

Tolletæ, Köppachij & Zägingæ, Liberi Baronis in Croysbach, ſupremi hæreditarijq; Auſtriæ Superioris aulæ Magiſtri, ſacræ Romanæ Cæſareæ Maieſtatis, &c. à Conſilijs, Cameræq; inferioris Auſtriæ præſidis, &c. Sponſi:

ET

GENEROSÆ PVDICISSIMÆQVE

virginis, virginis CATHARINÆ, Generoſi ac Inclyti D. D. CAROLI LVDOVICI ſpectatiſſimi Baronis à Zelcking in Syrendorph &c. ſanctæ & laudatiſſimæ memoriæ, Filiæ, Sponſæ.

AVTHORE

PHILIPPO BARBATO GERLICO,
Eccleſiæ Syrendorphianæ in inferiori Auſtria, Miniſtro.

S. Luth: Tom. 6. Vuitt: lat: fol: 416.

Poſt Doctrinam Euangelij & Fidei, quæ eſt propria Eccleſiæ doctrina, inprimis debet ornari & honorari coniugium, idq; vel ob hanc cauſam, quia Mundus & Caro, quid ſit Coniugium, & quanti ſit faciendum, non intelligunt.

Impreſſum Anno M. D. LXXXII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 245 [35,-148 4°]

S. Luth. Tom. 1. Gen. fol. 33.

ME puero, ſic infames propter impium & impurum cœlibatum habebantur Nuptiæ, vt putarem, ſine peccato de coniugum vita, me non poſſe cogitare. Hoc enim perſuaſiſſimum erat omnibus, ſi quis ſanctam, & DEO acceptam vitam vellet agere, hunc non coniugem debere fieri, ſed cœlibem viuere, & votum cœlibatus ſuſcipere debere. Itaq; multi qui coniuges fuerant, poſt vxorem mortuam, aut Monachi aut Sacrificuli fiebant. Neceſſariam igitur & vtilem operam omnes illi ſumſerunt, qui in id incubuerunt, vt coniugium per Verbum DEI, cohoneſtaretur iterum, & meritis laudibus ornaretur.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 245 [35,-148 4°]

EPITHALAMIVM.

QVæ mihi, cum nuper lethali febre peruſtus
Zelckæus caderet laudandus CAROLVS Heros
Triſtia dictaſtis Muſæ: nunc Numine læta
Aſpirate mihi veſtro: dum dicere mens eſt
HELMARDI flammas IORGRORVM Sanguine creti,
Et Zelckungiadę CATHARINÆ Virginis ignes.
Sic vobis ſacra thura feram, ſic flumina odoras
Veſtra vehant ſemper Laurus, hederasq; virentes.
Quiq; tuos æquas proauos virtutibus HELMARDE
Aonidum fautor, tenues nè ſperne Camænas,
Tempus erit quo te verſu ſuper æthera tollam.
Eſt locus aruicolo Sirenum nomine clarus,
CAROLE quá genitor GVILIELMVS condidit Arcem
Ipſe tuus, proceres quondam non vltimus inter
Auſtriacos. Hîc dum generis monumenta vetuſti
Zelckorum intueor, relegens longo ordine prolem,
O thalamo LVDOVICE tuo, caſtæq; Maritæ
VRŜLÆ Ventagij Pragenſûm ſtemmatis, ortam:
Eccè polo veniens Hymenæus ter tribus Aræ
Aſtitit erectæ Diuis: cum poplite vocem
Ipſe tremens retrò preſſi, ſtupefactus. At ille
Salue, pone metus, inquit, tibi nuncius haud ſum
Infeſtus: ſumas vires, ſunt omnia ſalua.
Dixerat: Et Muſæ facta ſedêre corona.
Lætus Hymen capto ſeſſu quoq; : talia fatur,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 245 [35,-148 4°]

Expectata diu lux tandem venit & hora,
Gloria IORGRORVM *qua præclariſsimus Heros*
HELMARDVS *ducet* CATHARINAM *ſtirpe creatam*
Zelckæa in Thalamos, qua non præſtantior vlla,
Siuè DEV̂M *ſpectes (ceu fas ſpectare) timorem:*
Siuè Fidem, ſeu virtutem, Formamuè decentem:
Siuè pudicitiam niueo quam pectore geſtat.
Nonnè modò tacita voluebas Gerlice mente,
Hæc eadem tabulas ſtares cum pronus ad iſtas,
Hasq́ iterum atq́ iterum geminares carmine voces:
Dî́j quam ter fælix DVRERVS *ſingula pinxit:*
Dî́j quales vultus, Dî́j qualia lumina. Planè
Linea opus pulcrum quam nulla fefellit. Honeſtos
Quis pinget mores Zelckæa Virgine dignos?
Nemo, mihi credas, vel Coo maior Apelle.
Nunc igitur totis incumbite viribus omnes;
Et quia nec violas, nec lilia frigore tellus
Educat vſta: nouis, gemmis oriente petitis,
Texite coniugibus deductas arte coronas,
Intereà caſti cauſas memorabo iugalis
Ipſe thori vobis breuiter finesq́ ſalubres:
Quîs patulas Sponſus, noua Nuptaq́ præbeat aures.
Sic ait: & ſubitò tolluntur Numina terra,
Atq́ laborantûm veſtes ad pectora cingunt
Collectas inſtar, niueos nudantq́ lacertos.
Melpomene calathos rutilis operoſa refertos
Fert Baccis. Erato faciendis apta coronis
Vimina depromens auro ſubducta miniſtrat.

Serta

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 245 [35,-148 4°]

Serta parant reliquæ, cæptum peraguntq; laborem
Tum pater intenta ſic voce ſilentia rupit.
Sancta maritalis qui fido pectore lecti
Iura colunt, eaquæ rerum mortalibus author
Prima tulit ſummus, poſtquam fabricauerat orbem:
Felices. Mens eſt velut & caſtiſsima, Iuſtus
Ipſe Deus: caſtæ ſic mentis ſemina primum
Cœtibus infudit cœleſtibus: Ipſe pudoris
Noticias homini impreſsit, quò noſcere Numen
Ritè queat caſtum, caſtè caſtumq; vocaret,
Quis dignas igitur laudes, quis carmina ſancto
Digna thoro dicet, qui fons & origo bonorum
Eſt authore DEO? cum caſta virgine iunxit
Ille marem: donis varijs beat ille iugales,
Et facit vt fiant numeroſa prole parentes.
O ſcelerum caput, & Sacri iactura cubilis,
Qui totum fœdis comples Ganymedibus Orbem,
Auſoniæ domitor (pudet iſta referre) Cathedræ,
Quàm te, quàm Monachosq; tuos, mollesq; SVittas
Pœna cruenta manet? Sic ô crudelis Adulter
Connubij temerè licitum qui deſpicis vſum,
Quò ruis illicita turpiq; libidine flagrans?
Deſine dum licuit: Stygium ſic itur ad Orcum.
Vita quid eſt hominum (liceat modò vera fateri)
Ni placido caſtos habeant in pectore mores?
His ſinè nil reliquæ virtutes donauè ſplendent.
Vt cum de ſtatua facies formoſa reuulſa eſt,
Gratia nulla manet trunco. Quis cætera neſcit?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 245 [35,-148 4°]

Scipio quàm multa fuerit virtute verendus
Nouimus: Allucio (dictu mirabile) Sponſam
Qui dedit intactam. Sic qui me, ſufficit, inquit,
Dicendoq́ meis faciendoq́ ſancta placere
Spartanis: nolens captiuam fallere Coam.
Quis non magnanimum Regem (res digna relatu)
Laudet Alexandrum, totus cui paruit Orbis,
Qui in terram fixis oculis, ſpectare puellas
Detrectat captas, ne corripiatur amore
Veſano: fidis dans ſeria iuſſa Miniſtris,
Virgineum nè quis decus auferat atq́; pudorem.
An qui legitimi caſtiſsima fœdera lecti
Reſpuit, inſanos Veneris ſectatus amores
Horrendas fugiet diuini Numinis iras?
Fallitur hæc credens. An non meretricia propter
Gens fuit obſcænos miſerè deleta furores
Orbe nouo? Abſumſit cœlo cur lapſa Gomorram
Flamma? Sichæmitas furioſa libido peremit,
Pertulit innumeras clades varioſq́ labores,
Ieſſæus thalami factus violator honeſti
Vates. Quid magnæ clariſsima Mænia Troiæ
Quàm Paridis propter ſunt diruta facta nefandi?
Sparta furens cecidit, clari cecidêre Tyranni,
Sedis Acidaliæ turpiſsima furta ſecuti.
Sed facio finem tam triſtes dicere caſus,
Quoſq́ animus meminiſſe horret luctuq́ refugit.
Nulla ætas, domus & Regio, Reſpublica nulla,
Eſt ſine iudicij exemplis, mihi crede, ſeueri.

Has

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 245 [35,-148 4°]

Has ſed vt effugeres tantas cum crimine pœnas,
En Faber Aſtrorum, poſiti ſub origine Mundi
Legibus æternis honoranda cubilia pulchri
Coniugij ſanxit, iunctis vt amoribus vno
Virq́ virago thoro, caſti ſinè labe manerent,
Et charæ gererent non ficto pectore curam
Prolis, ad ætheream quæ tenſis verbula palmis
Nomine diuino celebrato, funderet Arcem.
Talia & in brutis rerum Simulacra videntur;
Dulcia ſynceri declarant iura columbæ
Fæderis. Alcyone coluit Cæyca, pudoris
Vincula ſeruantes, brumali tempore, ventis
Cum mare tranquilli placidum ſtat littoris, edunt
Pignora: Si forſan duro cadat altera letho,
Altera perpetuo pergit marceſcere luctu,
Sola manens. Roſtris pietate ciconia præſtans
Obtruncat Mæchos. Aduerſus lumina Solis
Exponunt Aquilæ pullos exploraturi,
Sint proprij an ſpurij. Talem, quos ardor honeſti,
Mente fidem, iunxit, præſtant. Sed cuncta referre
Quid conor fruſtrà, & iam præterit hora diei.
Quid memorem ſacri veneranda volumina Libri,
Nobile coniugij fœdus celebrantia. Nanq́,
Heîc plebs Chriſtiadum quantus ſit amore Redemtor
In Sponſam diſcit, ſocia quam lege recepit.
Nam veluti ſomno captus cum fortè iaceret,
Primus homo, coſtis extructa eſt illius, vxor
Sponſa nouella viro, tanquàm arcto fœdere iuncta,

Vt caro ſint vna, & ſocium diffundat amorem
Alter in alterius vehementi flamine corda:
Sic etiam rigida quos miles foderat haſta
Ex coſtis CHRISTI, *vinctum dum ſolueret orbem,*
Sanguis profluxit, profluxit fluminis vnda,
Hinc, quæ non niſi te, nata eſt Eccleſia, CHRISTE
Agnoſcit ſponſum, charum ceu nupta maritum,
Nec minus ardenti ſponſam complecteris ipſe,
Igne tuam rurſus: nec tempore deſeris vllo.
Deindè fidem ſeruant, conſtanti fædere, lecti
Conſortes. Sic nil niſi ſola Eccleſia CHRISTO
Eſt cordi, fouet hanc, amat hanc, huic oſcula blanda
Figit, & hanc propter ſubit atra pericula mortis.
S[illegible]imul ambobus Bona ſunt communia, ſicut
Sunt [illegible]la: Si dolet hic mæſtus, dolet illa referta
Luctu: communem pariter quæruntur in vſum,
Diuitiæ. Sic & ſponſæ communicat omnem
Iuſtitiam, & quicquid ſublimis continet Æther,
Lecta DEI *ſoboles Sponſus. Si preſſa periclis*
Illa iacet, premitur, quamuis ſit criminis expers,
Ipſe ſimul. Quæ ſunt ſponſi, ſunt ſingula ſponſæ.
Vtq; vir optatam rabido defendit ab hoſte
Vxorem: CHRISTVS *ſeruat victricibus armis*
Sic Eccleſiolam, deletis hoſtibus, almam.
Ergò felices, ô terq; quaterq; beati,
Senſibus hæc qui imis (nam non ſunt parua) reponunt:
Scilicet hos caſtum iuuat acceſſiſſe cubile,
Flammarumq; pij ſenſiſſe incendia lecti.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 245 [35,-148 4°]

Nam varijs, licet hîc ærumnis ſæpe laborent,
Atq́; pios etiam fortuna Nouerca ſequatur:
Attamen ijs præſens DEVS eſt, ſolatia præbens
Dulcia: conuertens querulos in gaudia luctus.
    Non, ceu multa queam, memorabo Exempla iugalis
Nunc fidei, ſacro deſcripta Volumine paſſim:
Æthnica nec doctis olim celebrata Poëtis,
Qualia ſunt caſtæ Rhodopeiæ Phyllidis: vt ſunt
Penelopes vigilis: vel amoribus interfectæ
Proteſilâe tuæ lecti conſortis amati.
Egregium nobis Germania clara miniſtrat
Exemplum: patriæ fas ſit depromere laudes.
    Henrico Bauarum Guelphus duce natus, opimis
Vt fuit exutus non fauſto Numine caſtris:
Terga dat, ingrediens fida cum coniuge montem
VVinsburgum: Cæſar fugientibus inſtat & hoſtem
Obſidione premit, ferroq́; fameq́; fatigat.
Iamq́; rogat veniam Dux. Victi coniugis Vxor
Conrado ſupplex fit: clementiſſime Cæſar,
Cæſar, ait, nobis liceat mulieribus arce
Hac exire, & opes humeris quas poſſumus iſtis
Ferre domum. Precibus Cæſar commotus amicis
Annuit. Hæc gaudens reliquas mox inſtruit, auro
Vt miſſo, eripiant plectendos morte maritos.
Nec mora: ſuccedit dux agminis illa petitæ
Moli. Sic ſocijs mens omnibus vna. Per hoſtes
Armigeros gradiens, per circumſtantia tela
Gnauiter optatum quamuis infirma maritum

Fert

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 245 [35,-148 4°]

Fert humeris. Cæſar tantum miratus amorem,
Miratusq; fidem tantam: ſtupefactus: & alto
Corde premit flammas, vitam dans hoſtibus, atq;
Cum duce coniunxit firmiſsima fædera Guelpho.
Accipe Danorum CHRISTERNI Regis ELISAM,
Præterito noſtrum quam vidit tempore ſeclum
Hæc pulſo ſocias infracta mente Marito
Pertulit ærumnas: crucis, inſuetiq; laboris
Maluit eſſe comes, ſua quàm ſinè coniuge Sceptra
Incolumis tenuiſſe domi. Coniunctio talis,
Nobilis eſt, ſponſo quo ſancti Eccleſia vincli
Sponſa manet CHRISTO iunctiſsima ſemper, imago.
Nubilis ô igitur mortales diſcite lecti
Fædera, nec ſanctum temerate cubile profano
Crimine. Numen adeſt thalamo, iuſtiſsimus author
En DEVS: huic caſti date thura Sabæa: timete
Hunc. Phlegethontæas plectendus adibit Adulter
Fædus aquas. Puro felices pectore. Namq;
Æternùm læti cœleſti ſede fruentur.
Talia fatus Hymen, tenet ora: cadentia gratos
Sydera quod ſomnos ſuaderent. Ergò Nouenas
Conuocat ipſe Deus: ſatis eſt, ait, itæ puellæ,
Nonnè redire domum nos iuſsit, eamus, Apollo?
Tuq; vale, & clarij Fontis memor eſto Philippe,
Ad te nunc redeo BARO ſpectatiſsime, cuius
Adridet cæptis Hymenæus carmine blandus
Ipſe tuis caſto. Ridet tibi lumine clarus
Formoſo Titan. Lætantur flumina: rauco

Murmure

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 245 [35,-148 4°]

Murmure Danubius deuinctus cornua Lauro
Spumifer exultat. Verſus Acheloides edunt
In numerum dulces. Te contio tota ſalutat
Muſarum, celebrans nitidis tua gaudia plectris.
Fauſtaq́ cuncta tibi Sponſo Sponſæq́ precatur.
Gloria IORGRORVM *ſalue, non vltima Salue*
Spes HELMARDE *tui generis: nunc ſoluere tempus*
Carmina Dijs: intrat thalamos CATHARINA *pudicos*
Virgo tuos, Virgo proba, candida, relligioſa,
Atq́ verecunda, & pacis ſtudioſa colendæ.
Adde quod eſt celebri Zelckorum Sanguine nata,
ZELCKÆOS *quis enim celebres negat eſſe Barones?*
An non iuſta DEO *fuit hæc occaſio dignas*
Dicendi grates? Diuini Nominis ergò
Adſere ſaluificos fortis conſtanter honores,
Vt facis. Ignauum Fuci præſepia circum
Ecce pecus volitant. Fabriles reſpue NVGAS,
Nè te, neuè tuos deliramenta Manetis
Veſani turbent, violent, perimantq́ Penates:
Cura ſit iſta prior. Medicando occurrere rebus
Deindè ruinoſis pergas, & lumine dextro
Aſpice Pierides, Dabit his ſua præmia CHRISTVS.
Sic quoq́ da laudes Virgo CATHARINA *perennes*
Grata DEO*: foueas animo pia gaudia, mæſtas*
Abijce nunc curas: quid triſtia pectore celas?
En Generoſus adeſt, HELMARDVS *captus amore,*
Captus amore tui, IORGRORVM *multa Baronum*
Gloria. Lege ſacra gaudet: dat ciuibus æqua

Iura

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 245 [35,-148 4°]

Iura ſuis, bonus eſtq́ bonis, peccantibus aſper.
Non te pæniteat tali ceſsiſſe marito,
Eſt aliquid tanto virgo Zelckæa placere
Sponſa viro. Summo nunc reddere vota tonanti
Te ſimul hora iubet: CHRISTVM *cole: diſce Maritum*
Obſeruare tuum ſemper. Fuge futile turpis
Nomen auaritiæ, Nemo non odit auaros.
τὴν πολυπραγμοσύνην *fugias,* TVA *ſedula cura.*
Sed crepitant ſtreperos reſonantia tympana bombos
Ante fores, veſtrumq́ petunt ſacra limina templi
Aduentum. Plures quid texat pagina verſus?
Contrahe vela igitur. Fælices viuite longùm,
Et vos coniugij ſeruet defenſor & author.

Ieſa: 8.

Ad Legem & Teſtimonium.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 245 [35,-148 4°]